

I. N. J.
DISPUTATIO EXEGETICA
In
CAPUT UNDECIMUM
EVANG. D. JOHANNIS.


PRÆSIDE
N. WILHELMO LYSERO, D. & P.P.

placide ventilationi exhibitæ

à

JOHANNE DONNERBERGIO,
Osnabr. Westph.

*Ad diem XV. Februarii, loco horisq;
consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO MDCCLXV.

~~37.~~

37. 37. 6.

Coll. diss. A
192, 28

37.
37. A 192 (28)

A

Plurimum Reverendo, Clarissimo & Excellentissimo

V I R O,

DNO. CASPARO ERASMI BROCHMAND,

SS. Theol. D. Archiepiscopo Daniae vigilantissimo & in in-
clytâ Hafniensi Professori Celeberrimo,

Salutem & incolumitatem p.

Quae sublimis Theologus Vir Celeberrime Divino Spiritu agitatus praevidet Apo-
cal. XII, 12. Descendit Diabolus ad vos excandescens magnæ plenus, ut,
qui sciat, se exiguum tempus habere; ea in nostra tempora & hanc Mundi senectam
quadrant exactissimè: Non enim tortuosus nunc venit Diabolus, sed rectus, non fallit,
sed sevit, non insidias tentat, sed aperto Marte in Ecclesiae caput fremebundus insur-
git. Agit id cum primis per Neo-Photinianos, Socinianos, Schwenkfeldianos & ejus
generis homines Diabolicos, qui tantâ audaciâ, tantoq; molimine in oppugnandâ verâ
Christi Deitate desudant, ut ipsum Personatum Satanam obambulare, & Ecclesiae
ruinam intentare credas. Immanes hosce furores praevidens B. Johannes de arma-
turâ in tempore prospexit Ecclesiae, eumq; ceteri Evangelistae cum Domino ceu in terrâ
obambulent, ille velut Domini Aquila ad caeli verticem sublimiter evolavit, & quos
verba, tot fulmina & tonitrua vibravit in eos, quos Deitati Christi detrabere suo tem-
pore, & detracturos postea prospiciebat. Hunc itaque Sublimem Theologum expli-
candum, & à potissimis Haereticorum corruptelis vindicandum assumpsimus. Quid à
me praestitum sit, praesentes loquentur conatus, quos qualescunque Tuæ pl. Rev. Ex-
cellentia sisto, duplici potissimum de causâ. Primò, ut Judicium Tuum exquirerem
non de praesenti solum Exegesi, sed universo studiorum meorum curriculo, quod, sicut
ante hac ex tuo consilio institui, sic porrò instituire quero. Deinde, ut extaret publi-
cum quoddam monumentum grati animi, quod maxima ista beneficia tua in me colla-
ta exposcunt. Haerent animo colloquia ista sacra identidem iterata, quibus me subinde
donabas: Haerent conatus isti indefessi solo studio rerum mearum promovendarum,
non meis meritis exciti. Haerebunt & ista menti infixâ quoad superstitem me
Supremum Numen voluerit. Interea, quod pro tantis beneficiis rependam
non invenio, nisi preces & vota pro salute & incolumitate Tuæ Excellentiae; quae assi-
dua & ardentia me fundere noli dubitare. Vale Vir Celeberrime, & Salvus cum Aca-
demia vestra Patribus venerandis perenna. Dabam Wittebergae Anno 1645.
10, Februarii.

T. E. A.

Johannes Donnerberg/
Autor & Respondens.



I. N. J.
DISPUTATIO EXEGETICA
IN
CAP. XI. EVANG. JOHAN.
THESIS I.



Miraculum Lazari resuscitati, omnium, quotquot in Historiâ Evangelicâ recensentur, maximum & magnificentissimum, à solo S. Johanne est consignatum; à cæteris Evangelistis prætermisum esse studio asserit *H. Grotius Comm. in b. l. p. 951.* ne periculum Lazaro concitarent, si, quod ipsi acciderat, palam fecissent: Demortuo autem Lazaro, cum periculum non superesset, Johannem hæc evulgasse. *Corn. Jansenius part. 4. Comment. in Concordiam Evang. p. 2.* existimat cæteros Evangelistas ea potissimum memoriæ prodidisse, quæ extra Judæam fecit & prædicavit Christus, Johannem autem ea, quæ in Judæâ fecit & docuit, fuisse persecutum. Verùm cum miraculi patrati certitudo Pharisæis Hierosolymitanis sine morâ innotuisset, & non Jesu tantum, sed & Lazaro occasione hujus miraculi insidiæ struerentur, *Job. XI, 46. 53. & XII, 10.* Neque cæteri Evangelistæ obscure, sed aperte & prolixè satis multa à Christo in Judæâ acta & prædicata memoriæ prodiderint; Censemus nos B. Johannem ex multis signis, quæ edidit Christus & scripta sigillatim non sunt, hoc Lazari resuscitati miraculum eò copiosius enarrasse, quò evidentiora Divinitatis Christi argumenta ei contra *Cerintum & Ebionem* suppeditabat.

II. Tota autem hæc historia Lazari in tria membra commodè dispescitur, sicut pleræq; historiæ I. in *Antecedentia* miraculi à *versu 1. ad 39.* II, in opus ipsum resuscitationis à *versu 39. ad 45.* III. in *Consequentia* à *v. 45. ad finem.*

III. *Ἦν δὲ τις ἀνδρῶν ἀσθενῶν.* *ἀσθενῶν* plerumque dicitur de graviter ægroto, cui robur omne & vires ademptæ sunt. Ita *Job. IV, 46.* dicitur filius Reguli *ἀσθενῶν*, & subjungitur statim *ἦν δὲ τις ἀνδρῶν ἀσθενῶν*, *Lu-therus: Er war todfranc.* Genus morbi indigitare videtur *Nonnus*, quando interpretatur: *Ἦν δὲ τις ἀνδρῶν ἀσθενῶν νοσῶν πυρεῖ.* Per *νοσῶν πυρεῖ* sine dubio designat febrem, forsitan ad filium Reguli respiciens *Job. IV.*

Job. IV qui *versu 46.* simpliciter dicitur *ἀσθενεῖν*, postea verò *versu 52.* dicitur morbus ille fuisse *πυρετός*.

IV. Vox *Λάζαρος* est ex *Λ*, quod à *Λη* & *ρι* q. d. *Λάζαρος*, cui non est auxilium, auxilio omni destitutus. *Βηθανία* Latine sonat domum afflicti aut afflictionis, à *תְּבַיָּת* & *בְּתַנַּיָּא*. Dicitur autem Lazarus à *Bethaniâ* seu *Bethaniensis*, quòd oriundus inde & fortè incola simul esset.

V. *Λάζαρος* ἀπὸ *Βηθανίας*, ἐκ τῆς κώμης *μαρίας καὶ Μάρθας* τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. Ita habent pleraque exemplaria Græca testibus viris Doctissimis. Solus Syrus variat hunc in modum: *Λάζαρος* ἀπὸ *Βηθανίας* τῆς κώμης *Μαρίας καὶ Μάρθας* ἀδελφός. Non incommoda quidem hæc est lectio, sed non est, quod propterea cum *Heinsio p. 446. Comm. in b. l.* fidem omnibus exemplaribus Græcis derogatam soli paraphrasi Syriacæ tribuamus: Nisi quod particula, *ἐκ*, ἀπὸ *Βηθανίας* ἐκ τῆς κώμης possit videri vicum à *Bethaniâ* distinguere, quod *Beza* vult in *Not. Maj. ad Cap. I. Act. p. 430*; ubi anxie defudat, ut *Bethaniam* faciat tractum quendam montis Oliveti, & in ipso tractu collocet hunc vicum *Mariæ & Marthæ* aliis *Magdalum* dictum. Sed *Isaacus Casaubonus Exerc. XVI. ad Annal. Baron. p. 446.* rectè dicit stuporem illorum incusari à *Baronio*, qui castellum *Magdalum* in tractu isto *Bethaniæ* ficto collocant. Geographi enim & Interpretes Sacri ferè omnes *Bethaniam* non tractum montis, sed vicum faciunt, eundemque cum hoc *Mariæ & Marthæ* vico. Proinde particula *ἐκ* hîc aut abundat, & est appositio sententiæ, aut prius per posterius declarat, q. d. à *Bethaniâ*, id est, vico *Mariæ & Marthæ*. Similis locutio est illa *Job. I, 45.* ἀπὸ *Βηθσαϊδά*, ἐκ τῆς πόλεως *Ἀνδρέα καὶ Πέτρου*.

VI. Dicitur autem *Bethania* vicus *Mariæ & Marthæ*, quod *Dominæ* illius essent, jure hæreditario, aut alio justo titulo, quod *B. Lysero, Salmeroni* & aliis placet. Vel, si Romanorum tum temporis per *Judæam* dominatio id nō admittit, dicitur vicus earum, quod oriundæ exinde essent, & honoratiores eundem inhabitarent. Sicut *Bethsaida* dicitur civitas *Andreae & Petri, Job. I, 45.* & *Capernaum* civitas Christi propter inhabitationem, *Matth. IX, 1.* Quod verò à *Mariâ & Marthâ* potius quam à *Lazaro* vicus hîc denominetur, id dari eximia earum pietati & studio hospitalitatis existimant multi, sic, ut obscurior istic loci fuerit fama Lazari quam sororum hospitalium & Christi.

At

sti studiosarum. Sed non est, quod tantopere fama Lazari extenuetur; à sororibus potius denominatur vicus, eò quod vel dominæ ejus essent, vel inhabitarent eum Lazaro Hierosolymis degente.

VII. Ἡ δὲ Μαρία ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον μύρω. Cum non unius v. 2. Mariæ sed plurium mentionem faciat historia Evangelica, distinguitur à cæteris hæc Maria eo, quod unxerit Dominum unguento. Singuli autem Evangelistæ à muliere Christum unctum esse narrant. *Matthæus cap. XXVI. Marcus c. XIV. Lucas c. VII. Johānes c. hoc XI.* Quæritur, an omnes solam hanc Mariam Lazari sororem faciant Christi unctricem? In diversas sententias abeunt hoc loco Interpretes. Quidam tres distinctas faciunt unctiones & mulieres unctrices; ex veteribus *Origenes Tract. 35. in Matth. Chrysostomus Homil. 61. in Joh.* ex recentioribus, *B. Lyserus in Harm. Evang. c. 133. Jacobus Faber Stapulensis lib. de Tribus Unctricibus. Emmanuel Sa in b. l. p. 382.* Alij duas, Sicut illam *Luc. VII.* distinguant ab eâ, quam recensent *Matthæus, Marcus & Johannes. Hieronymus in Matth. c. XVI. B. Tarrovius in c. XII. Joh. p. 854. Excellentissimus Dn. D. Calixtus Concord. Lib. V. c. 31. Marlortus in b. l. p. 175. & 409. Joach. Camerarius in Joh p. 285. Estius in Notis p. 935. & alii multi.* Unam eandemq; faciunt & unctiōnem & unctricem ex Recentioribus, *Grotius in Matth. c. XXVI. p. 483. Toletus in b. l. p. 914. Maldonatus in b. l. p. 391. Adam Contzen in c. XXVI. Matth. p. 485. seq.* Accuratè quæstionem propositam expedire non est hujus loci, circumstantiæ diligentius collatæ diversas omninò unctiōnes inferre videntur. Quando Evangelista ait, ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον, non unctiōnem intendit, quæ hanc historiam præcessit, sed insecuta est, quam ipsam *S. Johānes* subjungit *cap. sequenti XII.* similem anticipationem observa *Matth. X, 4.*

VIII. Ἡ ἀλείψασα τὸν κύριον μύρω καὶ ἐκμάξασα τὰς πόδας αὐτῆς τὰς θρυξίνας αὐτῆς. Dicuntur hæc per μεταθεσιν, ante enim pedes absterfit Maria, quam unxit. Ungebantur enim corpora lota & à sordibus purgata, sic Mulier ista peccatrix primùm pedes Salvatoris lachrymis rigavit, deinde capillis absterfit, & demum unguento unxit, *Luc. VII, 38.*

IX. Descendit Evangelista ad sororum studium & συμπάθειαν erga fratrem decumbentem. *Miserunt ergo sorores ejus ad ipsum, eò quod plusculum esset viæ, & ipsæ domi sollicitæ de fratris curâ deti-* v. 3.

nerentur. *Dicentes, Domine, ecce, quem amas est infirmus* Id est particu-
la attentionis, quasi admirantes casum fratris queruntur, quod, quem
amat Christus, eundem morbus corripuerit. Non citant, inquit *Sal-*
mero in b. l. merita propria vel fratris Lazari, sed tantum ejus in Laza-
rum amorem; satis putabant annunciare amanti, qui amat & non
deserit, qui diligit non verbo aut lingua, sed opere & veritate.

• 4.

X. *Jesus autem hoc audito dixit: ΑΥΤΗ Η ΑΣΕΒΕΙΑ ΟΥΚ ΕΣΤΙ ΠΡΟΣ ΣΑΙ-*
ΝΑΤΟΝ. Per Hebraismum dicitur *ασειβεια* sive *απρωσια* προς *σαινατον*, vel
εως θανατου, quando gravis est, & mortem intentat. Sic dicitur *II. Reg.*
XX, 1. Diebus illis *ηπρωσησεν εζεχιας εως θανατου.* *Lutherus, Nihilias*
war todifranck.

XI. Quæritur non immeritò, quomodo ex mente Christi infir-
mitas Lazari non fuerit ad mortem sive lethalis, cum ex eâ decesserit
Lazarus, & Christus ipse expressè subjungat, *Lazarus amicus noster*
mortuus est, v. 14. Quidam, ut dubium hoc expediant, non de morte
corporis, quæ temporalis est, sed de morte spiritus & gehennæ Salva-
tori sermonem fuisse, dicunt. Ita exponunt *Jacobus Faber Stapulensis*
p. 344. Com. in b. l. & *Robertus Rollocus Scotus p. 656. Salmero Vol. 6.*
Tract. 43. ad hunc modum exponit: Infirmitas non fuit ad mortem
ex causâ primâ, id est, Deo mortem principaliter non intendente, sed
liberationem ab illâ; DEUS enim mortem non fecit &c. *Sap. I.* sed *ex*
causâ secundâ, hominum scilicet peccato mortem introducentium.
Verùm hi aliquanto longius à contextu abeunt. Exactior verborum
interpretatio illa est, cum dicitur, Lazari morbus non fuisse ad mor-
tem (1) diu, aut ut cæterorum hominum ad extremi judicii diem
duraturam; sed ad mortem brevem, & resurrectione brevi termi-
nandam. (2) Morbus non fuit ad mortem primariò, ut finis immis-
sionis morbi ultimus esset mors Lazari, sed secundarius & subordi-
natus alteri, qui est gloria Dei, ut per eum morbum glorificetur Fi-
lius Dei. Ipsa mors Lazari non erat ad mortem, sed ad miraculum
& gloriam, ait *S. Augustinus.*

XII. *Infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ἵνα δοξαση*
ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι' αὐτῆς. *ἵνα* hoc loco non est *cause*; quasi eam solum
ob causam morbum & mortem immisisset, ut gloriam ex eo captaret;
id enim in sceleratos potius quadrat, quemadmodum Deus severè
corripiendo Pharaonem ob antegressa scelera glorificatus ex eo di-
citur

citur *Exodi XIV, 14.* sed *consecutionis*; quatenus ἐκβάσις & ἀποτέλεσμα morbi mortisq; gloriam Christi manifestavit; infra v. 45. & *Cap seq. XII. v. 9. & 11. seqq.* Contra *Toletum annot. in Job cap. IX. p. 8. 9.* *Estium comm. in cap. IX. v. 3. Job.*

XIII. Ponit hic versus quartus inconcussum Divinitatis Christi fundamentum. *Sanè videte*, inquit præclarè *Augustinus Tract. 49. quemadmodum ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam, qui negant Filium Deum esse. Ecce audiant*: Infirmitas hæc non est ad mortem sed pro Dei gloriâ. *Quâ gloriâ? cuius Dei? audi quid sequitur*; ut glorificetur Filius Dei. Infirmitas ergo hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur Filius Dei, *Christus Deus* per eam. Valido hoc argumento cum peti se Arriani cernerent, pro δι' αὐτῆς impio & scelerato ausu substituere δι' αὐτῶν: ut hic esset sensus; ut glorificetur Filius Dei per eum, nempe Deum Patrem. Verùm hoc κρησφύγετον nullum erat; præterquam enim, quod manifesto plagio se obstringerent, corrupendo textum contra codicū fidem & receptam totius Ecclesiæ expositionem, apertam vim inferebant ipsi textui inconvenienti hac explicatione.

XIV. *Diligebat autem Jesus Martham & sororem ejus & Lazarum.* v. 5. Dilexit equidem Jesus totum genus humanum, & amore in mundum ductus omnium Redemptor est factus; In statu tamen κενώσεως, quatenus affectibus ut homo ducebatur, pro hominum fide & charitate alios amavit intensius, sicut hanc Lazari familiam: Gratuita nihilominus fuit ista dilectio, non merito Lazari aut sororum conciliata & impetrata. Contra *Adam Contzen comm. in h. l.*

XV. *Ut ergo audivit illum egrotare, tum quidem mansit duos dies in eo loco, ubi erat.* v. 6. Mansit duos dies, non deserens interea Amicum laborantem, aut periculum ejus negligens, sed ex morâ hac captans occasionem magis magisq; gloriam suam illustrandi, postquam mortuum verè esse Lazarum omnibus constaret, & redivivum fore nemo speraret.

XVI. Ἐπειτα μετὰ τῆς, *Deinde post illud ipsum biduum exactum ad Jordanis trajectum, Dixit Discipulis, ἀγωμεν εἰς τὴν Ἰσθαίαν. ἀγωμεν* dicitur ἐλλειπικῶς pro ἀγωμεν ἡμᾶς. Sæpe etiam apud profanos ἀγειν pro βαδίζειν usurpatum invenias, quemadmodum illud Latinum *Comici; Quo te agis.* Secesserat Christus in Peræam regionem trans-

transjordanam *Job X.* ex hac Christus in Judæam strictè dictam, quæ est citra Jordanem, abiturum se Discipulis prædicit, idq; non abs re; arripit enim exinde occasionem præmuniendi suorum animos adversus metum Judæorum, qui paulo ante præhendere Christum & lapidare constituerant.

v. 8.

XVII. Hunc metum disertis verbis exprimunt Discipuli; *Rabbi yōv, non ita pridem studebant Judæi te lapidare & rursus illuc abis?* Verba sunt iter dissuadentium, & præsentissimum mortis periculum Christo objicientium ex furore Judæorum recenti & nondum sedato.

v. 9.

v. 10.

XVIII. Hunc metum amoturus Christus parabolicè demonstrat, non esse, quod à Judæis metuant Discipuli, *Nonne duodecim sunt horæ diei, si quis ambulet inter diu, non impingit, quia lucem hujus mundi cernit, si quis autem ambulet nocte, impingit, quia lux ei non adest.* Judæos dies artificiales toto anno in duodecim horas, noctem verò in quatuor vigiliis distinxisse notum est, diem & horas diei oriente sole inchoarunt, & occidente finiverunt. Variante itaque dierum quantitate horas quoque variari necessum erat. Quâ de re multis *Drusus part. alt. Annot. in N. T. p. 87. & Estius Ann. in b. l. p. 936.*

XIX. Quomodo verba Christi parabolica ad præsentem materiam applicari possint aut debeant, Evangelista non exprimit, sed κατὰ τὸ ὑποκειµενόν relinquit collationis applicationem legenti. Hinc est, quod tot interpretum circumferantur sensus, quot fere capita. *Lyranns* verba ista, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* separatim accipienda esse censet, hoc sensu; *Nonne horæ diei sunt fluxæ & mutabiles?* ita quoque animi Judæorum instabiles de furore remittent. Hæc expositio non improbatur *Thome, Contzen p. 419. Emman. Sa. p. 382. & Salmeroni p. 271. Augustinus, Beda & Rupertus* mysticè interpretantur Christum solem esse, Apostolos verò horas, eos sequi non præire sententiâ debere. *Cyrillus* per lumen tempus gratiosæ præsentiae Christi in statu *κένωσης*, quo benefacere Judæis studebat, intelligi vult. Quam diu igitur Judæi in eo ambulabant, non offendebant, i. e. poenas impietatis luebant. *Conf. Maldonatum in b. l. p. 393. Theophylactus in cap. XI. Job.* tres adducit loci hujus expositiones; *Prima* hæc est; Vos Apostoli in luce bonorum operum ambulatis, ergo non est, quod Judæorum furorem pertimescatis. *Alteram;* Vos Apostoli ambulatis in luce, id est, tempore, quo nondum passus & mortuus sum,

in eo

in eo à persecutionibus Judæorum immunes eritis. *Tertia; Vos in luce ambulatis, i. e. me, qui sum lux mundi sequimini; Ergo nihil adversi vobis accidet. Postrema expositio placet Salmeroni, Stapulensi & aliis non paucis. Job. Ferus annot. in b. l. p. 263. per duodecim horas mysticè duodecim mysteria intelligit, qualia facit mysteria, Incarnationem, nativitatem, circumcisionem, oblationem &c. Transeo aliorum sententias, qui per diem aut dici tempus totum illud spacium intelligunt, quod est ad consummationem seculi, de quo Nicolaus de Gorran & Guidon de Perpiniano in b. l.*

XX. Simplicissima horum verborum interpretatio est illa, quam suppeditat Salvator ipse *Job. IX, 4. Oportet me vacare operibus ejus, qui misit me, donec dies est.* Dies illa est tempus officio Christi, prædicationi & patrandis miraculis præstitutum; Quam diu Christus ambulavit in ista die, non offendit, nec Judæorum furor in eum quicquam poterat. Adventante autem nocte, i. e. tempore passionis & mortis, quæ potestas tenebrarum penes Sacerdotes & principes Phariseorum erat, *Luc. XXII, 53.* impedit Christus, & furori Judæorum objectus vitam finivit; *Quia lux ei non aderat, i. e. præstituta à Patre dies officij Mediatorij finem fuit sortita.* Eundem sensum intendit Salvator *Luc. XIII, 32. Dæmonia ejiciam & sanationes peragam hodiè & cras; tertia autem die consummabor.*

XXI. *Hæc ait Jesus, & postea dixit eis; Lazarus amicus ille noster dormit, sed proficiscor ut à somno excitem eum.* Lazarum Christus non suum modò, sed & Apostolorum vocat amicum. Apostolos amicos suos nominat, *Job. XV, 15.* Qui igitur Christi amicus est, is & amicorum Christi amicus meritò dicitur.

XXII. Argutè ex hoc loco *Adamus Contizen* stabilire conatur errorem Pontificiorum de invocatione Sanctorum & speciali Beatorum pro relictis fratribus intercessione. *Quodsi, inquit, Amicus est Lazarus demortuus Apostolorum viventium, quædam amicitia inter vivos & defunctos officia intercedere necesse est: Concludere tandem ex Augustino annititur; Non esse prætermittendas supplicationes pro Spiritibus mortuorum, & Sanctos demortuos tanquam Patronos susceptos adjuvare apud Dominum vivos superstites. Sed hæc absque fundamento & exemplis Scripturarum dicuntur. Constans amicitia etiam absque officiis perstat, quinimò vix amicitia nomine*
B digna-

v. II.

dignamur eam, quam officiis & utilitate metiri voles. Beatas animas servare reminiscantiam amicitiae, quae ipsis cum superstitibus intercessit, & in genere eas pro relictis amicis intercedere largimur ultrò; *Sed accidentia in mundo post earum solutionem à corpore ipsis innotescere, easq; intercedere pro peculiaribus singulorum necessitatibus per distincta invicem officia, ideoq; invocandas esse, nec credit, nec docet Augustana Confessio, inquit Celeberrimus Hülsemannus Cap. XVI. Supplem. Brevarii Theol. Tb. V. Contra memoratum Contzen comm. b. l. p. 417. Belarm. lib. I. de Sanct. beat. c. 19. Tom. 2. col. 742. Costerum Enchirid. c. 22. p. 658. Pistorium Wegweiser c. VI. p. 262.*

XXIII. Lazarum demortuum dormire dicit Christus phrasi Scripturae & profanorum scriptorum usitatissimâ. *II. Reg. XX, 21. Obdormivit Hiskias cum Patribus suis &c. καὶ ὑπνώνας ἐπέειπεν, inquit Homerus. Horatius: Ergo Quintilium perpetuus sopor urget. Lib. I. Carm. Od. 24.* Hinc κοιμητήρια dicuntur sepulchra & cippi libitinarij. *Commentarius in Proverbia Salomonis, qui Cabvenaki inscribitur, justorum mortem solum, non impiorum somnum dici memorat. Nos tam impiorum quam bonorum mortem somnum dici, diverso tamen respectu, affirmamus cum Drusio part. II. p. 87.*

XXIV. Mors somnus à Scripturâ appellatur, ad demonstrandam 1. resurrectionis certitudinem, quod ea tam certa sit futura, quam certa est à somno expergefatio. 2. absolutam Dei in vivificandis mortuis δύναμιν. Omnipotente Christi voce faciliori negotio mortui excitabuntur, quam nostrâ sopiti expergefunt. Falsò ex similitudine somni colligitur ψυχοπαννοχία veterum & recentiorum, qui animam à corpore separatam ad extremum Judicij diem dormire, nullas operationes aut actiones vitales exserere, nulloq; sensu doloris aut lætitiæ affici docent. Contrarium infertur ex disertis Salvatoris verbis *Marc. XII, 26. 27. & mortui Mosis apparitione, Matth. XVII, 3.* Contra *PsychoPannyctitas veteres & recentiores, Anabaptistas, Socinum Disp. de statu primi hominis p. 79. Schmaltzium in exam 157. Err. err. 98. p. 28. Vorstium in Antipistorio part. 2. p. 156. Vid. Zanchium lib. 2. de oper. Dei c. 8. col. 673.*

v. 12. XXV. *Si dormit servabitur. Ἐὰν ἴπνῳται sanus erit, convalescet.* Dolores intensi & concoctio difficilior cum somnum non admittant, existimant Discipuli somnum Lazari indicium esse dolorum remissorum

forum

ſorum & futuræ ſanitatſis, adeoq; ſupervacuam fore profectiõnem. *Hoc autem dixerat Jeſus de ipſius morte, at illi putabant eum de dormitione ſomni dicere.* Fuit hæc magna Diſcipulorum ruditas, inquit *Meno-*
cbius p. 191. Neque enim tantum viæ conficere opus erat ad fuſcitan-
 dum è ſomno, qui non multò poſt naturaliter ſomno ſolvendus erat.
 Neque tamen ex hac Diſcipulorum ruditate Scripturæ obſcuritas eſt
 inferenda, aut Inanimis Scriptura cum *Stevartio Comm. in 1. ad Theſ-*
ſal. p. 141. aut regula Leſbia flexibilis cum Pighio lib. 1. Hierarch. Eccleſ. c. 2.
f. 8. dicenda eſt; committitur enim Elenchus ſecundum quid, &
 Exempli. Contra *D. Stevartium, Pighium l. c. & Pontificios paſ-*
ſim.

XXVI. *Tunc ergo Jeſus dixit eis apertè, Lazarus mortuus eſt.* Dixit *v. 14.*
παρρησία, ſermone aperto, manifeſto. Syrus *חִיָּוִתָא* explicatè, abs-
 que ambiguitate. Certiſſimum Divinitatis Chriſti argumentum,
 quod nullo revelante abſenti de morte Lazari conſtet. Contra *Pho-*
tinianos &c.

XXVII. Quid cauſæ ſit, quamobrem Chriſtus Lazarum infir-
 mum abſens non ſanarit, & mortem impedierit, ſubjungit; *Gaudeo v. 15.*
propter vos, (ut credatis) me illic non fuiſſe. Loquitur de fidei non ru-
 dimentis, ſed augmento; ante enim miraculo celebri fidem eorum
 adauxerat *Johan. II. 11.* Sic hoc loco mortuum quatrduanum & fœ-
 tentem reſuscitando tantùm fidem auxit, quantum infirmum ſanan-
 do non obtinuiſſet.

XXVIII. Mirum, quantum ſibi placeat *Ad. Contzen hoc loco.*
 Verba Chriſti, *Gaudeo me illic non fuiſſe,* ait eſſe clarum & invictum
 teſtimonium, contra immane Ubiquitatis figmentum. *Absolutè ſe ibi*
fuiſſe Chriſtus negat, Et ſi verè & realiter erat ibi, & hoc ſorores ſciebant,
quid opus erat legatione? Quæ de ubiquitate carnis Chriſti adfert, ea
 nos non ſtringunt, qui eam, prout illi fingunt, negamus. Falsum au-
 tem eſt, absolutè Chriſtum negare, ſe ibi nõ fuiſſe: Niſi admittere vo-
 les, absolutè negari præſentiã Dei in vento, concuſſione & igne, *I. Reg.*
XI, 11. 12. cum dicitur, *Non erat in eo vento, non erat in concuſſione illã,*
non erat in eo igne Jehova. Negatã itaq; operatione Majeltatica univer-
 ſali in Statu Exinanitionis, nõ tollitur in Statu Exaltationis. Nec mi-
 gum fuit ſorores Lazari præſentiam Chriſti ignoraffe, ſi nõ Deum eſſe

Christum, sed *Ψιλὸν ἄνθρωπον* existimârunt ex mente *Toleti & Maldonati comm. in b. l.*, *Contra Bellarminum lib. 3. de Christo c. 12. seq. Sobnium in Aug. Conf. p. 441.* *Vorstium disp. de Deo p. 272.* *Martyrem in Loc. Comm. p. 1619.*

v. 16.

XXIX. *Dixit autem Thomas, qui dicitur Didymus.* *Thomas* origine est Hebræum à *דנן* cujus plurale est *דננן* contractè *דנן* Gemelli, qui Græcis dicuntur *δίδυμοι*, quæ vox & hîc *Thomæ* tribuitur, eo quod cum fratre uno partu editus esset, ut placet multis, aut, quod verisimilius nobis est, nomen ejus inter Græcos agentis, græco mutatum sit. Hac ratione posterius græcum prius Hebræum explicat, ut *Thomas qui dicitur δίδυμος*, æquipolleat huic; *Thomas, id est δίδυμος*; vel *Thomas, qui aliàs dicitur δίδυμος*; quemadmodum *Joh 1, 43.* dicitur, *σὺ κληθήσῃ Κηθᾶς, ὃ ἐρμηνεύεται Πέτρος*.

XXX. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Disceptatur ab Interpretibus, quo animo hæc à *Thomæ* sint dicta. Non moramur hoc loco sententiam *Origenis* de depositione corporis Christi & transitu animæ ad infernum, quasi eò respexisset *Thomas*; explosa fuit olim sententia ista à *Theophylacto in b. l. comm.* & *Sixto Senense Annot. CCV. in N. T. p. 643.* *B. Lyserus Harm. Evang. c. 133.* Existimat infirmitatem, impatientiam & immodestiam *Thomæ* hæc verba expressisse, propterea, quod, ubicunque ejus mentio fit in Scripturâ, ipsius tarditas & incredulitas sese prodat. *Theophylactus comm. in b. l.* Ironicè *Thomam* condiscipulos allocutum fuisse perhibet, q. d. *Desipiamus igitur & nos, & periculum mortis subeamus cum eo, qui tam parvi vitam suam facit*; quasi his verbis eos ab itineris comitatu deterrere voluisset. Nos cum *D. Hunnio in b. l. p. 874.* *Tarnovio p. 828.* & *Dn. D. Calixto Concord. lib. V. c. 37. aliisq;* notamus quidem *Thomæ* metum & tarditatem, quod verba Christi v. 9. immunitatem pollicentia minus dextrè assecutus fuerit, laudamus tamen ejus in Christum amorem, quod eum non turpiter deserere, sed se sociosq; ad præsentissimum vitæ periculum eum Christo subeundum animare voluerit.

v. 17.

XXXI. *Venit ergo Jesus addunt eis Βηθανίαν Arabs, Syrus, & Nonnus:* Quod non de ingressu vici intelligendum est, cum infra v. 30. dicatur, nondum venisse in vicum; sed de appropinquatione, sicut v. 20. dicitur, *Martha, ut audivit Jesum venire, i. e. appropinquare, prope adesse. Et invenit eum, τὸς ἀγας ἡμέρας ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ,* Phrasis est

est Hebræorum, habere dies aut annos in morte, morbo. Ita sentiunt Menochius p 191. & Beza Not. Maj. in b. l. Sed non opus est ad Hebraismos recurrere, cum ἔχειν ἐν τῷ μνημείῳ sit phrasī purè Græca. Sic frequens est Euripidi phrasī, ἐν αἰχλὺνῃ ἔχειν pro αἰχλὺν ἔχειν. Contra Menochium & Beza m. l. c. Quomodo autem Christus invenit eum quatuor dies in monumento jacentem, cum biduum tantum transegerit in Peræâ, & exinde Bethaniam usque vix sit spaciū quatuor milliariū, si fides est habenda Büntingio. Præcisâ sententiarum discrepantium enumeratione, dicimus Lazarum decessisse, quamprimum Christus de morbo ejus per nuncium certior est factus; biduo igitur in Peræâ peracto tertiâ die iter ingressus est, quartam itineri insumpsit, habitâ eâ die concione de confessu Filiorum Zebedæi ad dextram & sinistram, Matth. XX. patrato etiam miraculo sanatorum cæcorum, Luca XII. & XIX. Quinto demum die venit & invenit eum quatuor dies in monumento habentem. Sic dies integra Lazaro inhumato relinquitur.

XXXII. Erat autem Bethania prope Hierosolymam fere stadiis quindecim, i. e. vix milliari Germanico dimidiato. Multiq; ex Judæis Hierosolymitanis venerant, πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίας, singularis est phrasī Græca, inquit Glassius lib. 3. Philol. S. Tract. II. p. 160. secundum quam articulus pluralis cum præpositione & nomine proprio idem est, quod proprium nomen ipsum. Sic Aristoteles Rhetor. 3. ὅπερ ἐποίησαν οἱ περὶ Θεόδωρον. Quod faciebat Theodorus. ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς περὶ τὰ ἀδελφῶν αὐτῶν. ut μύθοις verbis blandis & compositis mœstas sorores consolarentur, seu, ut loquerentur cum corde earum, phrasī Syriacâ, aut ut ex paraphrasī Syriacâ mavult Lud. de Dieu p. 464. b. l. ut redderent & corroborarent animos earum. Quod officium per septem dies extendi solitum fuisse Grotius vult comm. in b. l. & sæpe ejus mentionem in historiâ sacrâ, Josepho & Thalmudicis libris fieri testis est.

v. 18.

v. 19.

XXXIII. Rectè Musculus occasione horum verborum orationes pro defunctis impugnat. Non habebant aliud solatii, inquit, quod mortuo impenderent; igitur quod possunt ad consolationem viventium, hoc faciunt. Et sic olim agebat Ecclesia fidelium in exequiis mortuorum. Postquam verò Spiritus errorum superstitionum & quæstum mentes Episcoporum & Presbyterorum occupavit, quæ à priscis fuerant ad consolationem

vivorum usurpata, versa sunt ad fictum obsequium & subsidium mortuorum. Contra Adam Contzen in b. l. p. 419. aliosq; Pontificios.

v. 20. XXXIV. Martha ergo, ut audivit prior Jesum venire, occurrit ei; Maria verò domi sedebat. Ridiculi sunt Pontificii, quando hoc loco in duabus fororibus vitam contemplativam & activam præfigurari à Spiritu S. docent, adeoq; hodiernarum Monialium & Monachorum vitam contemplativam ad exemplum Mariæ compositam jure merito præferri activæ patrum & matrum-familias in negotiis occupatorum. Neque enim, ut modernæ Moniales Maria domi sedebat otio indulgens & secessus continuos seligens, sed hîc luctui & aliàs contemplationi cultuiq; sacro subinde vacans ad labores & curas domesticas relapsa est; ut vel ex solo hoc cap. XI. & seq. XII. constat. Contra Job. Ferum annot. in Job. p. 266. Salmeronem Tract. XLIV. Vol. VI. p. 282. A. Contzen comm. in cap. X. Luc. v. 24. quest. 2.

v. 21. XXXV. Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Verba sunt ex incompositis affectibus prodeuntia, & habent speciem tacitè conquerentis, quod serius venisset, inquit Menochius in b. l. p. 191. Prodit etiam Martha fidem suam vacillantem & imbecillem, ut rectè Toletus b. l. p. 930. & Corn. Jansenius part 4. com. in Concord. p. 3. Contra Ad. Contzen in b. l. p. 419. afferunt.

v. 22. XXXVI. Sed & nunc scio, ex miraculis edocta, fore, ut quæcumq; petieris à Deo, det tibi. Sed & hæc spes vacillare videtur ex v. 24 & 39. nihilominus de Christo magna sibi pollicetur; Christus, quod expressè petere Martha non fuit ausa, ultrò pollicetur. Resurget frater tuus.

v. 23. Non dubiè hæc promittit Christus, ut Maldonatus putat, sed apertè & simplici sensu: q. d. bono animo esto, suscitabo è mortuis fratrem tuum. Sic vult Menochius b. l. p. 192. Martha, ut dictum est, tantum sibi polliceri non ausa de communi resurrectione ad judicium, verba Christi interpretatur. Scio, ait, docta à Mose & à te, resurrecturum in resurrectione ultimo illo die. Syrus ἀνάστασις per παρακλήσις interpretatur, indigitans ultimum istum diem complementum fore gaudij & consolationis. Huic sententiæ adversatur Lud. de Dieu in b. l. p. 465. qui radicem Hebræam מַנְחֵם consolatus est, Syris ignotam esse ait, adeoq; à Syro usurpatum nomen ex usu loquendi Syrorum propriè significare resurrectionem, suscitationem, aut vivificationem, vide quæ pro sententiâ suâ stabilienda afferat l. c.

XXXVII.

XXXVII. Multus est *Ad. Contzen* hoc loco, in fugillanda argumentatione *Musculi*, institutâ ex verbo *Marthæ Scio. Scit Martha*, inquit *Musculus*, certoq; sibi persuasum habet fratrem resurrecturum ad vitam, quia amicus Christi erat, igitur & nos ipsi, si credimus, certi sumus de resurrectione ad vitam. Regerit *Jesuita*, nullum esse certum de fide salvificâ ejusq; perseverantiâ, adeoq; nullam esse certitudinem gratiæ erga nos divinæ, & resurrectionis ad vitam. Verùm urgemus fidem *Marthæ* indubitata, & jungimus illi fidem *Hiobi c. XIX, 25.* Contra *Ad. Contzen l. d. Concil. Trid. sess. 6. c. 9. can. 13. 15. 16. Bellarm. lib. 3. de just. c. 2. seq.*

XXXVIII. Sicut Christus à corporalibus, aquâ, vino, pane, aliisque transire ad spiritualia solet, ita pro more suo hoc loco occasione *Lazari* demortui demonstrat *Marthæ* divinam suam naturam & absolutam vivificandi *δυναμιν*. Ego, inquit, *sum resurrectio & vita*. Resurgere dicimur in Scripturâ ex morte peccatorum, *Colos. II, 13.* ex ærumnis item & calamitatibus, *Psal. XLI, 9.* In specie Scripturæ est resurrectio, cum corpus exanime rursus animatur, id est, anima à corpore separata cum corpore redunitur. Hæc suscitatio ratione subjectorum triplex est. *Prima* paucorum sive ad hanc vitam resuscitatorum, cujus exemplum est capite hoc *XI.* sive cum Christo resurgente ad alteram. *Secunda* ipsius Christi, qui tertiâ die unâ cum Patre & Spiritu S. seipsum resuscitavit, cooperante etiam humanâ naturâ Divinæ personaliter unitâ, *Job. II, 19.* Contra *Bezam Coll. Mompelgart. p. 277. Enjedinum in Detorsione dicti Job. II, 19. Osterodum lib 2. contra Tradel. c. 10. p. 176. Schmalzium de Divinit. Christi c. 13.* *Tertia* est omnium hominum ante extremum Judicium, quæ rursus est duplex, aliorum enim dicitur ad vitam, *Job. V, 29.* aliorum ad mortem & ignominiam, *ibid.*

XXXIX. *Tertiam* istam, quæ est ad vitam, respicere potissimum videtur hoc loco Christus, quando se resurrectionem appellat, prima tamen & secunda non excludenda planè. Dicitur autem resurrectio tropicè (juxta plerosque) per Metonymiam effectus, pro causa efficiente & autore resurrectionis. Causa est resurrectionis 1. *efficiens principalis*, non instrumentalis ut blasphemè contendunt *Socinus & Socini factura*; cum enim *ὁμοῦσι* fit Patri, & habeat potestatem vivificandi quos vult, *Job. V, 21.* erit utiq; quâ Deus
causa

v. 25.

causa principalis resurrectionis, non instrumentalis. Contra Photinianos ll. supra c.

XL. 2 Christus est causa resurrectionis meritoria, ad Coloss. I, 18. Unde Tertullianus resurrectionem Christi clavem nostræ resurrectionis appellat. Quæritur hoc loco, an Christus sit causa meritoria resurrectionis impiorum? Affirmat id ipsum Henricus Boëthius tractatu peculiari de Resurrectione impiorum. Negant autem B. Balduinus, Meisnerus, Gerhardus aliq., & rectè omninò. Nam 1. quod ex merito Christi profuit & ab eo dependet, id non nisi salus & beneficium est censendum; Impiorum autem resurrectio non est beneficium, sed ignominia potius & pœna anteaكتورum peccatorum. 2. Meritum & Beneficia Christi etiam infidelibus communia unâ cum morte terminantur, non itaque post mortem eorum participes fient. 3. Justitia & justum Dei judicium exposcebat resurrectionem corporis impiorum ad æterna supplicia absque intuitu meriti Christi, etiamsi Christus nunquam incarnandus aut incarnatus fuisset, non igitur illa ex merito Christi dependebat.

XLI. Quæ objiciuntur ex I. Cor. XV, 22. 23. & 45. ea de resurrectione fidelium determinatè accipienda sunt; Quin tota Apostoli illatio tendit non ad demonstrandam necessitatem resurrectionis, sed ad refutandam impossibilitatem, & defendendam ejus veritatem, inquit Excellentissimus Hülsemannus Hospes quam optimè meritis Cap XVI. Suppl. Breviarii Theol. §. VII.

v. 26. XLII. Ipse Salvator subjungit, quorum sit resurrectio sive causa meritoria resurrectionis, Fidelium nempe. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit corpore, vivet, suscitabitur ad vitam beatam. Et quisquis vivit corpore & vitâ spirituali & credit in me, non morietur in æternum animâ & corpore, sed mors ejus erit transitus ex vitâ caducâ ad æternam.*

XLIII. Solus itaque Christus est causa meritoria vitæ nostræ spiritualis & æternæ, non opera nostra; blasphema proinde est vox Lindani, quâ asserit, *opera justorum esse expiationes peccatorum, & propitiationes pro peccatis admisis.* Causa instrumentalis à parte nostrâ, sola est fides, qui credit, vivet, inquit Salvator. Hac fide, sicut in tempore justificamur, ita intuitu ejusdem ab æterno electi sumus. Contra Petrum Molinaum in Anat. Armin. cap. 18. p. 91. seq. *Non opera nostra.* Contra Becanum Tom. I. opusc. c. 3. de predestin. Cathol. Tb. 2. p. 80. Informis
itaq;

itaque planè est fidei distinctio in informem & formatam, quasi fide formatâ, id est, fide & operibus justificemur, & prævisione ejusdem formatæ fidei ab æterno electi simus. Contrarium adstruit *D. Paulus Rom. III, 28.* Contra *Estium comm. in cap. XVI. Marci p. 810.* *Sabmeronem in b. l. p. 192.* *Maldonat. in Job. III, 1.*

XLIV. *Credis hoc?* Inquirat Christus in Marthæ fidem, non quod eam ignoret, sed ut confessionem eliciat, & confitentem confirmet. Credenda itaque est Mortuorum resurrectio, cujus certitudo ex fide constat, non conclusionibus apodicticis demonstratur. Contra *Julium Pacium § Ctum.*

XLV. *Dicit ei Martha, Ναὶ Κύριε. ἐγὼ πεπίστευκα,* præteritum pro præsentis accipiendum esse plerique contendunt, sequuti Syrum, qui per præsens interpretatur; Et sic ante Martham Divinitatem Christi plane ignorasse perhibent. Sed inhæremus literæ, & ex concionibus præmissis notitiam Divinitatis Christi hausisse Martham non dubitamus. Contra *Toletum in b. l. p. 930.* & *Corn. Jansenium p. 3.* v. 27.

XLVI. *Toletus comm. in b. l. p. 936.* & *Jansenius c. CII. p. 4.* etiam hanc Marthæ confessionem, *πεπίστευκα*, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, imperfectionis arguunt. *Necdum credidit esse Deum, quanquam filium Dei vocet*, inquit *Jansenius.* *Maldonatus* hac interpretatione injuriam Marthæ inferri queritur; nec immeritò. Nam quoad personam appellat eum 1. *Dominum* scilicet universi, id est, verum Deum. 2. *Filium Dei*, æternum puta, & Deo Patri consubstantialem. Quoad officium, confitetur eum τὸν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Periphrasis est Messiaë, fundata in locis V. T. plurimis; *Gen. XLIX, 10.* & c. Unde simpliciter in N. T. dicitur ὁ ἐρχόμενος *Job. VI, 14.* *Luc. VII, 19.* Non apparet quid in hac Marthæ confessione desiderari possit, nisi fortè etiam illam Petrinam *Matth. XVI, 16.* mancã & imperfectam dicere voles.

XLVII. *Cum hæc dixisset, abiit & clam vocavit sororem: λέειρα,* suppressâ voce, ne præsentis Judæos turbaret; *Magister adest, & te vocat.* Jussane vocavit sororem, an injussa? *Theophylactus comm. in b. l. Adventus*, inquit, *& præsentia Christi est pro voce & mandato.* Verùm quæ necessitas cogit à literâ discedere? Verba ista, *Magister te vocat*, dicuntur κατὰ σιωπώμενον. jussisse Christum vocari sororem, tametsi Evangelista non memorat, non est dubium. v. 28.

XLVIII. *Illæ, ut audivit, surgit citò, Ταχὺ*, ocyus, sine morâ, prompto v. 29.

C

obis.

v.30. obsequio, & venit ad eum, (Nondum autem venerat Jesus in vicum, sed
v.31. erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha.) Judæi ergo, qui domi erant cum
eâ, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam citò surrexisse & exiisse,
perculsi tacitâ festinatione, sequuti sunt eam, λέγοντες, dicentes intra
se, cogitantes, putantes, ut explicat Syrus, ὅτι ὑπάγει εἰς μνημεῖον εἰς
μνημεῖον non in monumentum significat, obstabat enim lapis ostio ob-
volutus, quo minus ingredi posset, sed ad monumentum. Sic Luc. XI, 49.
ἀποσελῶ εἰς αὐτὰς πρὸς θήτας.

v.32. XLVIII. Μαρία ἔπεσεν εἰς τὰς πόδας αὐτῶν. Ad quos se quandoq;
peccatorum impetrasse remissionem meminerat, inquit Corn. Jansenius
Comm. Concord. c. 102. part. 4. p. 6. Quæ, si de muliere peccatrice, Luc.
VII. quæ Christi pedes osculata est, accipi vult, fallitur, & sibi ipsi
contradicit, ait enim sub init. cap. c. verisimile non videri, hanc Ma-
riam esse eam, quæ Luc. VII. Christum unxit. Domine, si fuisses hic,
non esset mortuus frater meus. Communicat fidei imbecillitatem cum
sorore Marthâ, accidit tamen ad pedes Christi, ut Deum, & Prophe-
tam illum magnum à Deo missum venerans.

v.33. XLIX. Jesus igitur, ut vidit eam flentem, & Judæos qui venerant cum eâ
flentes, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, infremuit spiritu. Verbum ἐμβριμᾶ-
σαι, propriè significat præ irâ fremere, indignari & commoveri; Cum
Dativo constructum valet seriò, quasi cum fremitu alicui intermina-
ri. Hoc loco nudè positum significat præ irâ indignari & ἐμβριμᾶ-
σαι τῷ πνεύματι est toto animo, intimis animi sensibus commoveri
ad iram & indignationem. Καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν, turbavit semetipsum, i. e.
ex indignatione istâ & irâ externam vultus immutationem sibi con-
traxit. Et hæc est simplicissima & tutissima textus expositio, quam
ex nostris amplectuntur B. Lyserus, Gerbardus, Osiander & alii; ex Pon-
tificiis Toletus, Salmeron, Sa, Menochius & c.

L. Metaphrastes Arabs reddidit **והנהר באלהר** & ingemuit
spiritu, quem multi veterum & recentiorum secuti, ajunt verba ista,
ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, condolentiam denotare, ut sit sensus; ani-
mo toto dolorem, tristitiam & συμπαθειαν concepit, etiam externo
vultu mœrorem istum præ se ferente: Sed obstat huic sententiæ na-
tiva significatio verbi ἐμβριμᾶσαι, quod semper commotionem af-
fectuum cum irâ & indignatione conjunctam significat. Contra
Maldo-

Maldonatam in h. l. p. 399. Marloratum p. 413. Robertum Rollocum p. 673. Grotium ann. in b. l.

L I. Patres nonnulli Græci, cum quibus facere videtur *Jac. Faber Stapulensis p. 346. in b. l.* Spiritum accipiunt pro Christi Divinitate, hoc sensu: Infremuit τὸ πνεῦμα, id est, Divinitate suâ erumpentes affectus humanos repressit & cohibuit. Sed hæc ἀλλοτρίως, & præter mentem Evangelistæ dicuntur, neque cum hac interpretatione conjungi possunt verba sequentia; *Et turbavit semetipsum.* Rectè igitur Maldonatus *mirum, ait, tantis auctoribus eum placuisse sensum, quem à mente Evangelistæ patet alienum esse.*

L II. Verè itaque Christus infremuit spiritu, indignatus est & turbavit semetipsum absque omni tamen ἀταξία & peccato. Permittit affectibus, ut se exerent, & veritatem humanæ naturæ carnisq; assumptæ demonstrarent. Contra *Valentinum, Cerdonem, Apellem & Manichæos.*

L III. Infremere spiritu, turbari, & lachrymari, sicut de solâ potentiâ vegetativâ non dicuntur, sed etiam de mente humanâ; ita manifestum est, Christum assumpsisse non solùm corpus animâ vegetativâ & sensitivâ præditum, sed etiam animam rationalem partem hominis essentialem alteram. Contra *Apollinarem, Monothelitas & Arrianos.*

L IV. Objectum hujus fremitus quidam faciunt Mariæ & circumstantium fidem imperfectam, alii Judæorum præsentium malitiam & scommata in Christum effusa, quod inferre videtur *versus 38. ex præcedenti 37.* Sed insignis ista mutatio & turbatio majus quid respexisse putanda est; Mors igitur, & is, qui mortis habebat imperium, objectum erant fremitus, iisq; fremebundus indignatur & victorem se demonstrat.

L V. *Ubi posuistis eum?* Vult Christus à defuncti sororibus eò deduci, propterea in locum sepulchri inquit. Frustra *Arriani* ex hoc & similibus locis Omniscientiam & consequenter Deitatem Christi impugnabant, cum ad eundem modum Deus non semel in V. T. κατ' ἀνθρώπου πάθειαν interrogârit: *Adam ubi es? Gen III, 9. Kajin ubi est frater tuus? c. IV, 9.* Præclare Augustinus; *Scisti, quod mortuus sit, & ubi sit sepultus ignoras?* Imò & in Statu Exinanitionis verè quædam ignoravit, sed secundum humanitatem, quod ad Divinitatem non est referendum. Contra *Agnoëtas, vid. Raban. lib. 2. de instit. Cler. cap. ult. Vor-*
stium

strum Photinianizantem in Apol. Exeget. c. 23. & Diss. de Deo p. 311. Albanenses, Socin. in pralect. Theol. c. 8. 9. 10. seq.

v. 35. LVI. *Et lachrymatus est Jesus.* Ut suscitando Lazarum se Deum probaturus erat, ita lugendo se hominem ante probabat. *Menochius p. 192.* Absolum est, quod in *Concil Toletano III. c. 22.* ab *Isidoro Pelusiota in cat. Grae. & Johanne Fero annot. in b. l. p. 274.* dicitur flevisse Christus, non Lazarum mortuum, sed ad hujus vitae ærumnas plorasse resuscitandum: *Eccur enim Divinâ suâ omnipotentiâ illum resuscitasset, si resurrectionis opus lachrymis potius, quam congratulatione prosequendū esse censuisset, ait B. Gerhardus Tom. 8. LL. §. 94.*

v. 36. LVII. *Dixerunt ergo Judæi, ecce τὸς ὡς quomodo,* quam ardentè & sincerè *amabat illum.* Alii mirantur, aut potius illudunt ei, quod Lazarum à morte non liberârît, cum ante majus quid in illuminando cæco ignoto & ignobili præstiterit, *Job. IX,*

v. 37. LIX. *Jesus ergo rursus fremens apud seipsum venit ad monumentum.* *Causam iterati fremitus Toletus in b. l. & Job. Ferus p. 274.* transferunt in Judæos, qui versu antecedente detrahere videntur Christi potentia. Huic interpretatione favet particula *ἔν*, quæ Judæorum scomata & Christi iteratum fremitum tanquam causam & effectum connectere videtur. Sed ut diximus, majus quid fremitus respexit; Non mirum est, si iterum fremat, violenta enim mortis tyrannis, quæ ibi vincenda erat, ante oculos versatur, inquit *Marloratus.* Particula *ἔν* ad sequentia referri commodè potest, q. d. conspecto ergo monumento rursus fremens apud seipsum venit ad locum monumenti.

LIX. Sepulchrum Lazari *μνημεῖον* appellatur: dicitur autem *μνημεῖον* in genere omne id, quo nobis res aliqua in memoriam revocatur, in specie autem sepulchra mortuorum designat, eò quod viso sepulchro aut monumentis sepulchro appositis inscriptionibus puta, pyramidibus, aut aliis operibus pro diversitate gentium, in memoriam ibidem reconditi, aut communis sortis & mortis redirent.

LX. *Erat autem Lazari monumentum σπήλαιον spelunca,* pro more Orientalium. Istæ verò speluncæ aut naturâ loci ita excavatæ erant, aut è solidâ rupe excisæ, qualis erat Josephi Arimathæensis, in quâ conditum est corpus Salvatoris, *Matth. XXVII, 60.* aut, sicubi solum petrosum non esset, lateritio aut lapideo opere cameratæ: De quibus vid. *Thalmud. part. 4. l. 3. Bavabatra c. 6. Gerhard, Harm. Evang. de Pass. & c. c. XIX.*

LXI.

LXI. Καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῶ. *Vulgatus reddit; Et lapis superimpositus erat; minus rectè; Neq; enim erat sicut nostra sepulchra, ait rectè Lud. de Dieu p. 466. in h. l. quibus sic excavatis cippus superimponitur. Sepulchra Judæorum spelunca erant, ante se fossam habentes, in quam primum descendebatur, dein per ostium in antrum spelunca intrabatur. Sicut & hodiè ejus structuræ monumenta regia visuntur. Ante illud ostium ponebatur lapis, vel ipsi ostio imponebatur. Neq; est, quod vulgatæ versionis propugnatores possint regerere, illud ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῶ, reddendum esse superimpositus erat illi; Nam & verbum ἐπίκειμαι præter propriam significationem superimponor, aut superimpositus sum, significat etiam immineo, apponor. Unde illud Aristotelis in Polit. ἐπέκειτο Ἰαλάσῃ posita erat (urbs) ad mare. Luc. V, 1. ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικείθει αὐτῶ, turba ei imminente. Lutherus, Da sich das Volk zu ihm drang. Sicut latinum imponor non semper est superimponor sed & apponor. Tacitus Ann. XV. c. 12. Munimenta Euphrati sunt imposita, id est, apposita. Et particula ἐπὶ non semper super, aut in, sed etiam ad, apud denotat. Job. IV, 6. ἐκαθίστητο ἐπὶ τῆ πηγῆ. Chemnitius; confedit ad fontem. Thucididi, περιπατεῖν ἐπὶ Ἰαλάσῃ, est de ambulare ad mare. Commodior itaque Syri est interpretatio ista, Erat spelunca, & lapis positus erat ad ostium ejus.*

LXII. Ipsum opus resuscitationis aggressurus, jubet tolli lapidem, sive volvi ab ostio speluncæ. Potuisset ipse Salvator miraculosè eum summove, quemadmodum summovebatur Marci XVI, 34. sed quod per præsentès fieri poterat, non facit ipse miraculo; voluit à circumstantibus hoc fieri, ut illi lapidem amoventes viderent Lazarum esse mortuum, & foetore verè experirentur.

v. 39.

LXIII. Martha immemor promissionum & fidei Christo datæ, Domine, inquit, jam olet, τεταρταῖος γάρ ἐστι. Impossibilem ferè existimat fratris sepulti quatruiduani & foetentis resuscitationem.

LXIV. Exorbitantem à fide Martham corrigit Salvator: Nonne dixi tibi, fore, si credideris, ut videas gloriam Dei? Iisdem verbis hæc Marthæ dicta esse, nec tamen ab Evangelista esse consignata putant Euthymius, Toletus in h. l. p. 947. Camerarius p. 274. h. l. Contra hos Ad. Contzen, Estius, Emmanuel Sa in h. l. & Corn. Jansenius part. 4. com. in Concord. Evang. p. 6. a. rectè asserunt, non iisdem verbis, sed eodem sensu versibus 4. 23. 25. 26. implicitè hæc Marthæ dicta fuisse. Non igitur aliam fidem requisivit hîc à Marthâ, aliam verò superius. Contra

v. 40.

Ad. Contzen in b. l. p. 423. Qui ἀποτόμως fiduciam abscindendam esse ab hac fide vult; Rectius Salmero: Non fiducia aliquid impetrat à Deo sine credulitate, nec credulitas sine fiducia. Tom. 6. p. 33. & Claud Guillaudus in cap. 6 Johannis: Credere in Christum, est certò statuere, per Christum contingere justitiam & vitam eternam, eiq; toto corde, totâ animâ, totis viribus inherere. Contra Bellarm. lib. 1. de justif. c. 11. seqq.

LXV. *Estius & Maldonatus fidem Marthæ fratris resuscitationem impetrasse, Salmero promeruisse dicunt. De priorum locutione non disceptabimus, cum ultrò demus, fidem alienam in beneficiis corporalibus sæpè alterum juvare. Matth. VIII. & c. Salmeronis tamen locutio aliquantò durior est, si vox promerere strictè usurpetur; Non enim proportio intercedit inter Marthæ fidem fluctuantem, & maximum beneficium resuscitationis.*

LXVI. Longius à vero recedit *Salmero*, quando à beneficiis corporalibus ad spiritualia transit, & fidem alienam Ecclesiæ puta, aut Parentum infantibus remissionem peccatorum & justificationem promerere docet *Tom. VI. p. 94.* Disponit quidem aliena fides, ut largiatur Deus propriam, eamq; augeat & perficiat: Nemo tamen solâ alienâ fide justificatur aut salvatur, *Ezech. XVIII, 20. Habac. II, 4.* Contra *Salmeronem l. d. Eccium in Enchirid. de Bapt. Hosium operum Theol. p. 82. & 83.*

LXVII. *Ut videas gloriam Dei.* Per gloriam Dei *Maldonatus* intelligit ipsam *Lazari resurrectionem*, quia per eam Deus glorificandus erat. *Camero in Myroth. Evang. p. 158. potentiam Dei*, quod probare ex *Rom. VI, 4.* satagit; Nos *gloriosa Dei opera* per *Meton.* adjuncti designari existimamus cum *Dn D. Glassio Philol. S lib. V. Tract I. c. 4.* qualia opera sunt hoc loco manifestatio potentia & amoris, accensio item fidei in Judæorum cordibus.

v. 41.

LXVIII. Ἦραν ἔν τὸν λίθον, ἃ ἦν τεθνηκὸς κείμεν. Hæc verba, nec *Syrus* legit, nec *Vulgatus*, legunt tamen *Arabs*, & plerique codices Græci. *Jesus ergo sustulit sursum oculos*, ex more Judæorum V. T. Exinde Scriptura frequenter elevationem oculorum ad Deum, pro ipso cultu Dei & oratione usurpat. Neque is mos Ethnicis erat insolitus. *Virgilius. Ad cælum tendens ardentia lumina frustra.* Levabantur in V. T. & manus in cælum, *I. Reg. VIII, 54.* sic quoque in primitivâ Ecclesiâ; *Salvianus de Gubern. Dei. Cur ad cælum quotidie manus tendimus? Paulus orabat flexis genibus, Act. XX, 36.* Quin & stantes corpore ere-

cto

Et orabat *Publicanus* *Luc. XVIII, 13.* & Christiani in publicis cœtibus primitivæ Ecclesiæ. Vid. *Excell. Hornejum in Rudimentis Hist. Eccles. l. II. c. 3.* Malè itaque ritus precantium indifferentes alij alijs usitati supercilioso fastu damnantur. Contra *Calvinianos Tract. Ausführlicher Bericht / was die reformirten Kirchen &c. c. X. p. 471.*

LXIX. *Pater, gratias ago tibi, quod me audieris.* Quæritur, an Christus ante precatus sit, cum hîc gratias agat pro exauditione. *Marius Victor lib. 1. Adv. Arrium* refert hanc gratiarum actionem ad illas preces, quibus Christus nondum homo factus apud Patrem pro salute hominum intercessit. Sed perperam Christus nondum homo factus dicitur precatus fuisse & à Patre exauditus. *Origenes* vult Christum quidem conatum fuisse precari Lazari resuscitationem, sed præventum fuisse ab eo, qui dixit, *Antequam clament, ego exaudiam.* Sed hanc sententiam inconvenientem textui & improbabilem esse rectè monet *Maldonatus in b. l. p. 402.* Alii ante fremitum, alii in ipso fremitu, alii post fremitum Christum petiisse à Patre resuscitationem Lazari affirmant. *Heinsius* ad Hellenismum more solito deflectit, & præteritum ἤκουσας futuri loco positum esse putat, cum quo facit *B. Tarnovius in b. l.* sed non opus est eò recurrere. *B. Hunnius in Job. p. 881. Marloratus p. 414. Contzen p. 424. & Robertus Rollocus p. 677.* omninò Christum orasse, aut ad minimum præmississe secretò votum statuunt. *B. Lyserus verò Harm. c. CXL. Gerhardus in Aphor. Job. b. l. Menochius p. 193. Salmeron p. 280. & Toletus p. 951.* existimant Christum hoc loco non præmississe preces, quandoquidem illis non indigebat, sed gratias egisse pro beneficiis humanitati collatis, quale hoc loco erat vis vivificandi, & voluntas Dei Patris ad ea, quæ disposuerat Christus homo. Postrema expositio nobis placet.

LXX. Ἐγὼ δὲ ἤδειν, ὅτι πάντοτε με ἀκούεις; v. 42. Causa est, quia secundum voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum Patrem velle. Et idcirco omnis voluntas Christi fuit impleta, quia fuit ea Deo Patri conformis, semper itaque oratio ejus fuit exaudita. Vid. *Thom. part. 3. Quæst. 21. art. 4.* Nec obstat, quod *Matth. XXVI, 39.* petens, ut calix à se transeat, videri possit non exaudiri; Nam simpliciter calicem non deprecatur, sed addit, si possibile est, si vis, fiat voluntas tua; aliàs quæ citra conditionem annexam voluit & petiit Christus, in iis semper est exauditus.

LXXI. *Et cum hæc dixisset, clamavit voce magnâ, Δάσαρε δευεγ ἔξω, v. 43.*
Iubin.

subintellige ἐξελθε. Voce magnâ clamat Christus (1) ne fufurris aut magicis incantationibus circumstantes crederent mortuum evocari.

LXXII. (2) Voce magnâ clamat, ut in hac & aliis refuscitationibus singularibus, *Matth. IX, 25. Luc. VII, 14.* præludium faceret fuscitationis generalis omnium ad extremum iudicium, quæ itidem fiet voce magnâ ipsius Christi, *Job. V, 28.* Ipsum enim Christum vocem magnam editurum hoc & aliis locis inducti asserimus; Salvâ interim summorum virorum autoritate, qui sonum ab Angelis editum Filij Dei vocem volunt esse, eò quod illo ordinante & iubente edatur.

LXXIII. (3) Voce magnâ clamat tanquam animam extra corpus constitutam è longinquo advocans. *Estius, Salmero & Maldonatus locum istum faciunt Purgatorium.* Verùm, præterquam quod Scriptura non alia agnoscat loca, quam sinum Abrahamæ & infernum, *Luc. XVI, 23.* & secundum tritum illud *Augustini* sit cum Diabolo, qui non est cum Deo, *lib. I. de remiss. pecc. c. 28.* Absurdum est, dicere animam Lazari fidelis & amici ipsius Salvatoris purgatorii ignibus tortam & malè habitam fuisse. Contra *Estium, Salmeronem, Stapulensem, & Bellarmini libros de Purgatorio.*

LXXIV. Negato purgatorio, quæritur non injuriâ, quò anima Lazari à corpore separata translata sit? Non moramur hoc loco eorum ineptias, qui animas defunctorum circa sepulchra volitare somniât, indigna sunt ista figmenta refutatione. Communis nostrorum Theologorum assertio est, animam Lazari in certo quodam receptaculo extraordinario & singulari asservatam fuisse, liberam à tormentis infernalibus, destitutam tamen gaudiis & consortio cœlestium.

LXXV. Quidam etiam ex nostris eam ad æternæ vitæ possessionem inchoatam & consortium beatorum evectam fuisse, non obscure docent. Assertionis probationem fulciunt exemplo ἐκστάσεως *Pauline II. Cor. XII.* & quæ objiciuntur his potissimum argumentis refellere conantur.

LXXVI. 1. Si justitiæ & bonitatis Divinæ non adversatur, Paulum raptum in tertium cœlum, i. e. (secundum eorum mentem) ad statum & consortium beatorum, denuò detrudere ad statum miseriæ; neque eidem repugnabit Lazari animam ad statum & consortium beatorum ad tempus evectam in statum miseriæ detrudere.

LXXVII,

LXXVII. 2. Si Pauli anima in statu & consortio beatorum purgata, & in terram relapsa denuò peccato infici potuit, etiam Lazari anima purgari, & ad statum miseræ delapsa peccato denuò infici potuit.

LXXVIII. In hisce dubiis certi quid definire, præsertim cum Scriptura taceat, sicut temeritatis est species, sic ἐπέχειν tutissimum ducimus. Nihilominus quantum roboris argumentis allatis tribuamus, & quo sententia nostra inclinaret, in conflictu σὺν Θεῷ monstrabimus.

LXXIX. (4) Voce magnâ clamat Christus, ut humanæ suæ naturæ δύναμιν ἰανουατρεγανὴν communicatam fuisse demonstraret. Impia igitur vox Danaei est contra Chemn. p. 118. *Ad opera Divina vivificationis, sanationis &c. non plus contulit caro (verba) Christi, quam ad edita ab Apostolis miracula caro (verba) Apostolorum.* Nescio an à Danaeo discrepet H. Grotius, quando scribit p. 957. *h. l. Tales voces non agunt, sed vim agentem significant.* Rectius Cyrillus in Catenâ Græ. Θεοπρεπὲς καὶ βασιλικὸν κέλευσμα vocat hanc vocem. Vox illa non sonus est aërem solum feriens, sed est imperium. Unde Lazarus mortuus vocis non tam sonum audivit, quàm ἐνέργειαν sensit. Hæc vis communicata est Christo homini, Act. X, 38. sic, ut non quasi otiosus Deum operantem videret, sed simul cooperaretur. Contra Sadeelem de verit. hum. Nat. Christi c. 4. obj. 8. p. 185. *Sobnium T. 2. p. 469. Robertum Rollocum comm. in h. l.*

LXXX. Insigne est mendacium, quando Ad. Contzen comm. in h. l. cum antesignano suo Bellarmino asserit, Lutherum docere, nullum donum supernaturale à Deo accepisse primos homines; contrarium docuit ille, & hodiè etiam nostri, quando gratiosam Spiritus sancti inhabitationem in cordibus primorum Parentum donum supernaturale faciunt. Justitiam autem originalem, Sanctitatem, scientiam & exactam virium animæ & corporis συμμετέλειαν negant illi fuisse dona supernaturalia, sed concreata primorum parentum naturæ: Neque unquam Adamus in puris, ut ajunt, naturalibus constitutus justitiâ illâ originali caruit. Creavit enim Deus hominem rectum, Eccles. VII, 30. Sap. II, 23. Naturalia itaque sunt, non tamen naturam constituentia, sed naturalia dicuntur *subjectivè, perfectivè, & transitivè.* Transitivè naturalia dona dici posse, admittunt etiam illi, qui justitiam illam originalem donum supernaturale vocant. Con-

D

tra

tra Bellarm. libr. de grat. primi hom. c. VI. & IX. Armin. Apol. c. 4. & 5. Socin. prælect. c. 1. Volckel. lib. 2. c. 6.

v. 44.

LXXXI. Tum qui fuerat mortuus, prodiit pedes & manus vinctus fasciis. Idem ille Lazarus ante fœtens prodit; sic in generali resurrectione corpora nostra eadem numero, eadem individua prodibunt. Contra Socin. in Resp. ad Puccium p. 20. Schmaltzium in exam. error. 121. Smiglecii p. 33. & Vorstium Tract. de Deo. p. 200.

LXXXII. Dicit eis Jesus, solvite eum. Circumstantes solvere Lazarum jubet, ut ipsi corpus contrectantes de certitudine resurrectionis non dubitent. Ridiculus est Bellarminus & cum eo alii, qui ex hoc loco auricularem omnium peccatorum enumerationem probant; Quemadmodum, ajunt, dedit Christus Apostolis potestatem solvendi Lazarum, ita dedit eis judiciariam potestatem solvendi & ligandi omnes; Quomodo autem solvent, aut ligabunt, nisi ex auriculari confessione de delictis certiores facti. Respondemus ipsos etiam Pontificios docere, Christum non Apostolis sed Judæis mandasse, ut Lazarum solverent. Maldonatus in b. l. p. 403. & Toletus p. 955. Vi igitur argumenti etiam ipsis Laicis potestas solvendi à peccatis demandata est. Contra Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. can. 7. 8. Bellarm. lib. 3. de pœnit. c. 2. seqq.

v. 45.

LXXXIII. Multi ergo ex Judæis crediderunt in eum. apparet, quomodo mors Lazari fuerit ad gloriam Dei. Quidam autem ex Judæis

v. 46.

abierunt ad Phariseos, & dixerunt eis, quæ se erat Jesus; Animo non bono, sed maligno. Contra Origenem, & Jacobum Fabrum p. 348. in b. l.

v. 47.

LXXXIV. Coegerunt ergo primarii Sacerdotes & Pharisei concilium. Ἀρχιερεὺς dicebantur capita, seu Seniores familiarum sacerdotalium, quibus, qui præerat, καὶ ἑξοχὴν Ἀρχιερεὺς dicebatur. Συνέδριον majus confessus erat concilii judiciiq; Judaici, quod constabat ex præcipuis populi numero LXX. ad exemplum primitus instituti Num. XI, 16. Aliàs συνέδρια erant parva in singulis civitatibus, de quibus Petrus Galatinus de arc. Cathol. verit. lib. 4. c. 5. Nostrum hoc Synedrium non est illud, cujus Matth. c. XXVI, 3. Marcus c. XIV, 1. aut Lucas c. XXII, 3. meminerunt, sed peculiare. Contra Simonem de Casia.

LXXXV. Jus convocandi συνέδρια in V. T. non fuisse penes solum Pontificem docet Evang. Johannes. Non est igitur quod ex V. T. patrocinium arrogatæ absolutæ potestatis convocandi concilia sibi quarat Romanensis. Contra Bellarm. lib. 2. de Concil. c. XII.

LXXXVI.

LXXXVI. *Et dicebant, quid facimus? quid cessamus & torpemus?* Beza per futurum exponit, *quid faciemus?* Sed contextus evincit eos incertos hæsitasse; *Nam hic homo multa signa edit.* Hominem appellant per contemptum. *Si dimittimus eum, omnes ei credent, ut Messia & populi hujus Regi;* talem sibi Messiam Judæi fingebant. *Venientq; Romani καὶ ἀρῶσιν tollent, evertent, occupando aut destruendo, καὶ τὸν τόπον ἡμῶν.* Τόπος hoc loco non significat templum Hierosolymitanum, ut existimat *Ludovicus Capellus inspicil. p. 34.* sed urbem ipsam; conjunguntur enim τὸς & ἔθνος, i. e. urbs & tota circumjacens Judæa. Revera Judæos extimuisse Romanorum potentiam simplex sensus literalis docet. *Contra Menochium p. 193. & Maldonatum in h. l.*

v. 48.

LXXXVII. *Unus autem ex ipsis Caiphas nomine.* Syriacè קַיִפָּי quasi à radice קִיפ circumire aut à קַיִפ vel קִיפ vomuit & פֶּה os, sermo, quasi Caiphas ore vomens. *Pontifex maximus anni illius.* Pontificatus ex institutione divinâ ἀπαράβατος erat. Eo ipso Pontifex typus erat Christi summi Pontificis, *Hebr VII, 24.* Vergente autem ad interitum Politiâ Judaicâ παράβατος, id est, ambulatorius cœpit esse, largitionibus Præsidum & ambitione Judæorum. Vide *Josephum lib. 18. Antiq. Jud. c. 4. Danæus quest. super Marc. X. p. 40.* existimat duos ad minimum Pontifices simul aut per vices administrasse Pontificatum, motus verbis *Luc. III, 2. & Act. IV, 6.* Cum *Danæo* facit *Maldonatus comm. in cap. III. Luc. p. 72.* Sed his rectè contradicit *Casaubonus Exerc. XII. ad Ann. Baron. ad Ann. XXI. Num. X. sect. V. p. 243. & Sigonius lib. 5. de Republ. Hebr. c. I.* Dicitur hoc loco Caiphas Pontifex anni illius, respiciendo ad Christum, illius nempe anni, quo ille passus & mortuus est.

v. 49.

LXXXVIII. *Nec cogitatis condacere nobis, ut unus homo moriatur pro populo;* in Græco est, ὑπὲρ τῆς λαῶς, quod est vel populi ejus expiandi causâ; vel nudè & simpliciter vice populi alioqui destruendi; juxta illud *Virgiliti: Unum pro cunctis dabitur caput:* Posteriores sensum intendebat Caiphas, priorem Spiritus Sanctus. *Et tota gens non poreat.* Secundum monitum Politicorum; *Melius est perire unum, quam unitatem.*

v. 50.

LXXXIX. *Hoc autem à seipso non dixit.* Syrus מִזְעָבֹת נַפְשָׁהּ ex voluntate animæ suæ, id est, eum sensum animo & corde non intendebat, quatenus erat vaticinium de Messia morte. *Sed cum esset Pontifex*

v. 51.

D 2

Maxi-

Maximus anni illius, prophetavit fore, ut Jesus pro gente moreretur. Sicut unus actus non facit habitum, & Medicus statim non est, qui aliquid Medici facit. Camerarius in b. l. p. 275. sic nec Caiphas Propheta dicendus est. Solitus fuit Deus per primarios populi, tametsi impios & sceleratos sæpè futura populo denunciare; exemplo est Pharao, Nebucadnezar & hïc Caiphas. Oppido itaq; fallit Nota Ecclesiæ infallibilis, quam Pontificii faciunt donum Prophetandi. Contra Bozium de Sign. Eccl. Coccejum Tom. I. lib. 8. Bellarm. lib. 4. de Eccl. cap. 15.

v. 52.

XC. *Sed ut filios Dei dispersos congregaret in unum.* Per dispersos Dei filios quidam decem tribus per Salmanassarem in Assyriam abductas intelligunt. Sed ulterius hæc se extendunt; non enim de congregatione in unum locum, sed in unum Ecclesiæ ovile Spiritus Sanctus agit.

XCI. *Marcus Antonius de Dominis lib. VII. de Republ. Eccles. c. X. p. 138. seq.* docet per filios Dei dispersos hoc loco designari posteros Esavi, Ismaëlis & Lotb. Moabitas videlicet aliasq; gentes, alienas à Politiâ Israelis. Illos posteros filios Dei dici vult, eò, quod verisimile sit, veri Dei cultum in illis non prorsus fuisse abolitum; Sed per traditionem ad posteros transmissum. Probare id conatur inductione exemplorum, 1. *Edomæorum & Moabitarum* posterorum Esavi, qui dicuntur fratres Israëlitarum *Deut II, 4. 9. non tam sanguine ait, quam fide.* 2. *Bileami, Num. XXII, 8.* 3. *Jethronis Midianita.* 4. *Ninivitarum,* apud quos ex traditione majorum veri Dei cultum viguisse putat. Sed hæc falsis nituntur hypothefibus. Nam 1. *Edomæi & Moabite* non fide, sed cognatione fratres erant, *Num. XXV, 2. seq.* 2. *Bileam* sub finem nō fuit fidelis, sed extremè avarus, impius & injustus, pronunciante ipso Spiritu S. *II. Pet. II, 15.* 3. *Jethronem* fuisse idololatram vult *Cyrillus Alexandrinus*: Nos fidelem fuisse admittimus, ast hïc non de alienis à Politiâ Israeliticâ tempore Patriarcharum aut paulò post, quales erāt *Bileam & Jethro,* sed Christi tempore sermo est. 4. Idem judicium esto de *Ninivitis.* Erat ibi Ecclesia, non ex traditione Majorum, sed famâ aut prædicatione vicinorum Judæorum, quorum religioni quosdam vicinorum se sociasse patet ex *Job. XII, 20.*

XCII. Alij per dispersos Dei filios intelligunt per creationem & fidem naturalem jam acta tales. Falsum hoc; nam fide naturali quempiam salvari aut justificari negat Spiritus S. *Act. IV, 12.* Contra *Franciscum Puccinum Filidinum libr. de Christi Salvat. Effic. p. 14. 19. 31. seq.*

XCIII,

XCIII. *Augustinus & cum sequuti pleriq; modernorum per dispersos Dei filios intelligunt divinâ prædestinatione tales. Sed cum multi congregentur in unum Ecclesiæ corpus etiam non prædestinati, cum B. Gerhardo nos dispersos Dei Filios dici putamus totum cœtum per universum terrarum orbem dispersum; Quæ διασπορά nunquam non filios Dei continet. Et sicut gens Judaica singula individua sub gente istâ comprehensa denotat, ita διασπορά à gente Judaicâ distincta singula individua complectitur, pro his singulis ex mente Evangelistæ Christus est mortuus. Fallunt itaq; verba H. Grotii comm. in b. l. p. 960. Pro gente mortuus dicitur Christus, quia pro parte optimâ gentis est mortuus. Nam effectus hic respici videtur. Adversatur hæc interpretatio simplici sensui literali; certè Caiphas non partem gentis sed singula individua gentis istius complexus est. Neque alia mens est Evangelistæ afflatu Spiritûs S. verba Caiphæ in alium sensum interpretantis. Nihil est, quod objiciunt ex verbis sequentibus, pro filiis Dei mortuum esse Christum; Nam per filios Dei universum vocatorum cœtum intelligi synechdochicè, diximus. Moritur Christus pro dispersis Dei filiis, num ergo pro iis solis exclusis aliis? Nulla est ab inclusivâ ad exclusivam consequentia. Contra Grotium l. c. Molinæum in Anat. Arminianismi c. 27. p. 147. seq. Perkinsium de Prædest. p. 40. Weigelium part. 2. Postill. p. 111.*

XCIV. *ἵνα διασκοπισμένα σωζώσῃ εἰς ἓν.* Non igitur conventus solum in Ecclesiâ particulari Christianâ σωζώσῃ dicitur Jacobi II, 2. sed integrum etiam Ecclesiæ Christianæ corpus. Contra Bellarmin. lib. 3. de Eccles. c. 1. & Catech. Trid. in expos. Symb. p. 111. Vide Celeberrimi Brochmanni Comm. in Epist. Jacobi c. 11. v. 2. quest. 2. p. 94.

XCIV. Insignis hic est effectus mortis Christi, ut, quæ dispersa erant, in unum colligantur, id est, unum Ecclesiæ corpus formetur. Una autem dicitur Ecclesia, non respectu capitis visibilis unius in hisce terris. Contra Costerum in Enchirid. p. 86. & Stapletonum in Relect. controvers. 1. quest. 3. art. 6. p. 55. nec ratione ceremoniarum earundem. Contra Conrad. Kling. L. C. lib. 3. c. 11. Sed est una 1. ob unitatem principii constituentis. 2. Finis. 3. Mediorum, Eph. IV 5.

XCVI. Frustra Barradius b. l. Cornelius à Lapide & alij Pontificii ex hoc loco patrociniū quarunt absurdæ isti sententiæ, *Unius dicti duplicem esse posse sensum literalem in S. Scripturâ.* Inconveniēns est hic locus, saltem ut speciem probationis dogmati isti faciat. Duos esse

hic sensus concedimus, sunt enim duo subjecta verba ista proferentia. Duorum autem diversorum subjectorum, diversum sentientium, dicta diversa, diversum etiam sensum literalem involvere concedimus. Unius verò dicti à Prophetâ sciente & Spiritu Sancto agitato non nisi unum sensum literalem esse posse asseveramus. Dicimus autem sensum literalem eum, qui proxime à Spiritu S. in Scripturis loquente intèditur, cum Dn. D. Glasio ex Phil. S. lib. 2. de Script. sensu tract. 2. sect. 1. p. 336. Contra Huntlaum in Epit. Controv. 1. c. 15. § 5. Corn. à Lapide in cap. 3. ad Ephes. p. 517. Gillium lib. 1. tract. 7. c. 4 n. 8.

XCVII. Cum suprâ dicitur, σου Φέρει, ἵνα εἰς ἀνθρώπων ὁ δὲ ποιοῦν ὑπὲρ τῆς λαῆς. Ibi vox σου Φέρει non tollit necessitatem Redemptionis per æternum Dei Filium. Necessaria quidem nō erat ista Redemptio necessitate consequentis, respectu liberrimæ misericordiæ divinæ; Necessaria tamen erat necessitate consequentiæ, positâ scilicet hypothesi Redimendi genus humanum. Hanc necessitatem non tollit vox σου Φέρει, nam & quæ conducunt, sunt necessaria. Unde est Necessitas expedientiæ. Christus ipse necessitatem istam consequentiæ & expedientiæ ponit voce εἶδει, Luc. XXIV, 26. Contra Polanum part. 3. Theol. Theol. p. 59. Zanchium lib. 3. de Incarn. p. 92. Brokerum in Antid. Error. Vorstii c. 21. p. 68.

v. 53. XCVIII. Ἀπ' ἐκείνης ἔν τῆς ἡμέρας. Multi codices Manuscripti & Cyrillus in Cat. Græc. legunt ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας. σωμαββλέουσιντο communicato consilio consultarunt & de remediis circumspexerūt, ut interimerent eum. Intellige hæc de prioris consultationis continuatione & confirmatione. hoc loco magis & vehementius quam unquam ante cœperūt incumbere in ejus exitiū, Flacius part. 2. Clav. p. 312.

XCIX. Magnifica V. T. Concilia, quibus summus Pontifex præsidebat, errasse, vel solum hoc sceleratum & impium decretum concilii demonstrat. Nullius momenti est, quod regerunt Bellarminus & Barradius in b. l. Concilia Judæorum non potuisse errare ante Christi adventum in carnem, sed eo præsentente errasse. Nam non desierat Sacerdotium Aaronis, sedebant adhuc in cathedrâ Moſis Scribæ, & Christus eos audiendos esse præcepit, Matth. XXIII, 3. Ipse Hofius lib. 2. contr. proleg. Brentii, & Hardingus in respons. ad apol. Anglic. c. 6. sect. 3. p. 6. non defuisse Sacerdotio Levitico Spiritum veritatis usq; ad oblatum cruentum sacrificium in cruce contendunt. Hoc everſo fundamento, ruit etiam infallibilitas Pontificis Romani, quam ab infallibilitate

te Pontificum V. T. arcessere *Bellarminus* solet. Erravit hic *Caiphas* errorem satis enormem. Neque ex dono prophetiae semel concessio inferitur, quod omnes Pontifices omni tempore & loco prophetent & vera dicant. Contra *Salmieronem* Tom. 8. tract. 45. p. 430. *Bellarmin.* lib. 4. de Pontif. Rom. c. 1. seq. & *Barrhadium* l. c.

C. *Jesus ergo palam non amplius ambulabat*, ἐν παρρησίᾳ est liberè, v. 54. quod Hebraei dicunt בפרהסיא aperte, in publico, cui opponitur ἐν κρυπτῷ εἶναι, in occulto latere & hominum conspectum subterfugere. Nondum elapsae erant duodecim istae horae, propterea furori Judaeorum cedit Christus. Et abiit illinc in regionem, quae est propè desertum, in urbem, quae dicitur *Ephraim*. Quae fuerit urbs illa *Ephraim* discipulant Interpretes, *Vulgatus* & *Nonnus* habent *Ephrem*, *Syrus* *Ephrin*. *Ephrin* autem antiquitus dictum fuisse pro *Ephraim* existimat *Drusius* lib. 4. Præter. p. 141. sicut *Misrem* dicitur pro *Misraim*, *Jerusalem* pro *Jerusalem*. *B. Gerhardus* cap. CXLII. *Harm. Cont.* Postquam recensuisset & improbasset plurimorum opiniones de urbe ista, concludit tandem, verisimile sibi videri, illam fuisse eandem, cujus mentio fit *II Sam. XIII, 23.* Erant *Absoloni* tonsores in *Baal Hazar*, sive in planitie *Hazar* אֶפְרַיִם אֶשְׂרָם quae erat juxta *Ephraim*. Sita autem erat urbs illa in *Galilæa* superiori in tribu *Naphtali* & distabat *Hierosolymis* 20. miliaribus. Non itaque verisimile est Christum, eò quod propè esset *Pascha*, in locum tam procul dissitum recessisse. Nec ipse *B. Gerbardus* simpliciter huic sententiae adversatur in *Disput. Aphorist. super cap. XI. Job.* ubi ait *Ephraim*, alii *Ephrem* fuit urbs sita inter *Hierosolymam*, à qua duobus distabat miliaribus, & *Jericho*. Et hæc sententia posterior nobis probatur. Sita itaque erat in regione, quae *Quarentana* dicitur.

CI. Et ascenderunt multi *Hierosolymam* ante *Pascha*. ἵνα ἀγιάσωσιν v. 56. ἑαυτοὺς, ut purificarent se ab immunditie secundum legem: immundos enim lex arcebat ab esu agni *Paschalis*; ante igitur purgandi erant, *II. Paral. XXX, 15, seq.*

CII. Quid videtur vobis, οὐκ ἔστιν ἔλθῃ. Quidam volunt hæc verba esse de futuro sciscitantiū, hoc sensu, quid videtur vobis, annon venturus est ad festum? Ita *Glassius* lib. 3. *Philol. S. p. 353.* causam expositionis hanc reddit, quod, cum conjunctivus futuro careat, pro eo indefinitum hic usurpetur. Sed duæ negationes cum fortius negent apud Græ-

Græcos, hoc loco puram etiam negationem inferre videntur, ut sit sensus; Quid videtur vobis, quod non veniat ad festum, pro more suo. Lutherus, daß er nicht kommt auff das fest?

v. 57. CIII. Quo animo in templo consistentes in Christum inquisiverint, de eo variant sententiæ; Alii volunt eos ex nupero isto stupendo miraculo desiderium cepisse videndi & audiendi Christum: Alii aliis ejus miraculis inductos tantum θαυμαστρον à facie saltem ut nosset novitatis studio quæsisse: Sicut Græci isti Job. XII. petebant à Philippo sibi monstrari Christum. Alii malevolo & subdolo animo eos inquisisse in Christum volunt, ut eum ad συνέδριον deferrent, aut manus injicerent: Dederant enim primarii Sacerdotes & Pharisei præceptum, ut si quis nosset ubi esset, indicaret, ἵνα μάσωσιν αὐτόν, ut injectis manibus eum comprehenderent. Nefario hoc decreto concilium illud malignantium Christo passionem & Mortem, humano generi σωτηρίαν sibi vero neminem justissimam & extrema mala maturavit.

Autori Thesium de profectibus egregiis
gratulatur

JOHANNES HÜLSEMANNUS D.
Acad. h. t. RECTOR.

T Hespaldas Sacrasq, simul lustrate per undas
DONNERBERGIADÉ, tandem sine lintre natabis.
Fructibus hoc, pariterq, animantibus indidit
Autor,

*Matribus avulsos quæsitò vivere succo.
Atq, alios publicæ generare salutis alumnos.
Tale sit, atq, frequens quod parturis, obsecro
Numen!*

Coll. Univ. H. 192.28.